



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm  
Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa  
tres primos Symboli Catholici Articulos**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VVestphaliae, 1608**

Capvt V. Mariam Caluinisticam Euæ instar cum dolore peperisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35415**

naturam, virginis claustra nullo modo apertasunt, quantum vero ad potentiam geniti Domini, nihil ei clausum, omnia aperta. Ex his Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Origenem iure summo interpretamur, locis ab haeretico Prædicante aliorum detortis. Idem de cæteris, si qui sint, dicimus, vnum tantum excipio Tertullianum, cuius priuatum hoc præter alias apud Pamelium in Annotat. extitit paradoxum. Sed si in ipsa vetustate (ait Vincentius Lyrinensis lib. aduersus haeresum nouitates) lapsus alicuius vel aliquorum Doctorum deprehendatur, Patrum aliorum eadem de resententia conferantur, atque ex maiore illorum consensu proposita quaestio indicetur.

## CAPVT V.

*Mariam Caluinisticam Eu&einstar cum dolore peperisse.*

**E**Andem matrem Christi Caluiniani peperisse cum dolore aliarū more mulierum, probatur 1. Vteri diuulsio disruptioq; nō est sine dolore. At in lētissima pueruli Iesu Nativitate secundum dictos Caluinistas facta est, & quidem tum primum, virginei vteri disruptio. doluit igitur mater, dum cœlum terraq; prælætitia ob natum Deum exultant. 2. Probabile est (ait Caluinus ad cap. 2. Matth.) Deum Maria (Caluinisticæ) pepercisse, donec & puer-

Maria Caluinistica  
dolet ex partu benè perio diu.

R. 3

perio diu.

perio conualeceret, vt iter facere posset. Iter autem illud in Aegyptum primū accidit post Magorum digressionem. Tanto igitur tempore misera matrem Christi Caluinistici indiguisse ad recuperandas vires amissas, probabile est Caluino eiusque catulis. 3. Caluiniana Maria lege communi peperit, vt ait Bucerus de omnipotentia Domini apud Feuardentium lib. 4. Theomach. cap. 2. lex vero ista communis est. Gen. 3. Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios tuos. Nec ab hac lege potuit eam eximere, vel quod non conceperet ex viro cum peccato, vti cæteræ solent fœminæ, vel quod Deum simul & hominem pareret, quod nulli datur fœminæ, vel quod esset gratia plena, benedicta inter mulieres, & à peccato præseruata antequam nata, quod de nulla alia constat fœmina. Circa hæc occinit prædicans : *impudens sanè mendacium Iesuiticum, quod dicatur (à Iesuitis) Caluinus velle, à Maria conceptum in peccatis Christum Dominum.* Barbare, et iamne paucula verba Latina non intelligis? Vbi? quibus verbis id ascribitur à Iesuitis Caluino? relege thesin & dic, impotentissime ipsem de Iesuitis mentionatus sum.

C 10